



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 2. An præceptum jejunii per se obligat sub mortali?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

Q. 2. An præceptum jejunii per se obligat sub mortali?

Resp. Aff. Constat 1. ex consensu Doctorum, & fidelium. 2. Quia res præcepta capax est gravis obligationis (cùm sit opus virtutis in suo genere grave,) & ab Ecclesia absolute præcipitur. Præcepta autem obligant pro gravitate materiæ, saltem dum Superior expressè non declarat se velle tantùm leviter obligare. 3. Alex. VII. damnavit hanc propos. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientiâ hoc faciat, putà quia non vult se subicere præcepto.

Hinc peccat mortaliter 1. Qui die jejunii, vel abstinentiæ carniùm, comedit sine necessitate carnes; nisi excuset à mortali materiæ parvitas, quæ communiter admittitur, eò quòd prohibeantur carnes prout nutritivæ, seu reactivæ vitium, at parùm carnis parùm nutrit; ergo etiam parùm seu sub parva culpa, & non graviter prohibetur. Hæc tamen parvitas difficilè constitui potest. 2. Qui vescitur ovis, aut lacticiniis, nisi permessa sint ab Episcopo, vel legitima consuetudine. 3. Qui aliquid notabile extra unam refectionem, & colatiunculam comedit, etiam interruptim.

An autem mortale sit tempus refectionis notabiliter anticipare sine justa causa?

Controvertitur. Layman censer olim quidem

dem

dem notabilem anticipationem fuisse mortalem, nunc verò spectatâ hodiernâ Ecclesiæ consuetudine esse solum venialem. Sed Covar. Nav. Sanchez, Comitol. Azor, Reginal. & alii docent etiam nunc esse mortalem, & probant 1. Ex sensu fidelium, & ex fine jejunii. 2. Ex cap. *Solent.* de Consec. dist. 1. *Nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium.* & ex Conc. Rothomag. an. 1072. cap. 21. *Nullus in Quadragesima prandeat, antequam, horâ Nonâ peractâ, Vespertina incipiat. Non enim jejunat, qui ante manducat.* Ergo ex mente Ecclesiæ tempus refectionis lege, vel consuetudine universali statutum, est conditio pertinens ad substantiam præcepti, vel ad modum substantialem illius. Nam etsi in anticipatione horæ discessum sit ab instituto veteris Ecclesiæ, non tamen in eo, quòd certa hora servetur, quam non liceat comedendo prævenire. 3. Ex S. Thom. in 4. dist. 15. q. 3. a. 4. q. 3. *Ille jejunium solvit, qui Ecclesiæ determinationem non servat. Unde cum Ecclesia instituerit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit.* Porrò juxta multos nulla est culpa, si ob justam causam, qualis est iter necessarium faciendum, tempus illud notabiliter antevertatur, eò quòd id usu receptum sit apud doctos, & probos; & facilius excusatio in hoc locum habeat, quam in aliis ad jejunium requisitis, cum refectionis tempus ad finem jejunii minùs conducat.